

Ka
2923
ca

5

87.



5
SAMUELIS FRIDERICI WILLENBERGII,
72 Doct. & Prof.


DE

VOTORUM
PLURALITA-
TE NON CON-
CLUDENTE, No 2923 uca

81.
Dasß nach den meisten Stimmen
nicht allemahl der Schluß
zu machen.

EXERCITATIO

Editio Altera auctior.



GEDANI, Typis Viduæ JOH. DANIELIS STOLLII,
SENATUS ET ATHENÆI TYPOGRAPHI. A. 1724.

L. Quod 19. ff. Ad Manicipal.

Quod major pars Curiaë effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint.

Conspectus.

Negotia magni momenti rectè plurium dijudicationi committuntur I. si inter se dissentiant à plurium in idem votis stat conclusum. II. cujus ratio datur III. annon saniorum vota præferenda? IV. quomodo J. Canonicum majora & saniora vota requirat? V. A pluribus factum conclusum Lex est omnium & singulorum. VI. Non concludunt plurima 1. contra jus divinum VII. 2. in fidei articulis VIII 3. contra malum Principem IX. 4. si ad suffragandum non omnes vocati X. vocatorum non comparentium, ut & præsentium, sed votum ferre nolentium, jus præsentibus & aliis suffragantibus accrescit XI. à minoribus quam duabus partibus Collegii præsentibus in causis magnis conclusum 5. non obligat XII. nec 6. si non liberè suffragia dicta XIII. vota privatim & ostiatim collecta 7. vim obligandi non habent XIV. In eligendo ad ministerium sacrum interna vocatio præcedere debet. Quid illa? XV. quid observandum in externa ejus electione? XVI. contra hæc requisita pluralitas votorum 8. inefficax. XVII. Judicium Speñeri de nudis externis electi donis. XVIII. Quomodo accipiendum dictum: *vox populi est vox DEI*, XIX. Ad clamorem populi facta electio est vitiosa XX Licet 9. pro se habeat pluralitatem votorum. An ita vocatus salva conscientia vocationem admittere possit? neg XXI. an iterum deponi? aff. XXII. Contra jura singulorum non valet 10. pluralitas XXIII. an in impositione collectarum? distingv & 11. casus XXIV. in delictis Universitatis 12. non obligat ad pœnam non consentientes XXV. Foscari judicium de pluralitate votorum & ejus propterea facta. XXVI. Si paria vota, nihil agitur XXVII. quæ in causis moram non ferentibus tunc eligenda sententia XXVIII. An ubi paritas votorum, sorti locus? XXIX. Si judicantes in tres aut plures abeant sententias variæ Dd. ópiniones XXX. approbatur hac in re Ziegleri sententia XXXI.

I.

Prudenter admodum negotiis magni momenti, iisque quæ Republicæ sunt, prospici solet, ut plurium deliberationi committantur, quæ illorum qualitates sunt ab illis rectè expendantur, remorantia impedimenta tol-

tollantur, eaque ita definiantur, ut fructum sperati exitus obtineant. Quod suo tempore Impp. Theodosio & Valentiniano observatum, qui in causis Reipublicæ cum prudentioribus conferre, & suas curas cum iis communicare non dubitarunt. *Bene enim, inquit, cognoscimus, quod cum vestro consilio fuit ordinatum, id ad beatitudinem nostri imperii & ad nostram gloriam redundare, in L. 8. C. de LL.* Experientia quippe docemur, plurium oculos plus videre, quam oculum.

II. Quando vero à pluribus res djudicatur, raro vel nunquam contingit, quod omnes in unam sententiam convenient. Sunt enim homines faciles ad dissentiendum *L. 17. §. 6. ff. de Recept. qui abitur. recep.* quod vel ab ingeniorum diversitate proficiscitur, nam quædam profundius, quædam levius saltem causas intraspiciunt, vel ab invidia, aut æmulatione. Interim tamen, ne negotia publica destituantur exitu, quando plena omnium & singulorum concordia obtineri nequit, è plurium sententia concluditur, & illa, juris interpretatione, pro omnium, proque vera & justa habetur. *L. 19. ff. ad Municip. L. 39. ff. Quod cujusque univ. nom. L. 160, §. 1. ff. de R. J. Limn. in Jure Publ, Lib. 9. cap. 1. 2, 175. seqq.*

III. Non enim aliud & promptius remedium suppetit, quo celerius ac feliciter deliberationes ad optatum exitum deduci, civiumque negotia decidi, ac ipsa justitia inviolabiliter exercere possint, quam si plurium suffragiis illa decidenda committantur. Rationi quippe convenit, ut major numerus includat minorem; ast ab ea alienum est, ut plures se submittant paucioribus, & quod ab uno vel paucioribus decisum, ita accipiatur, ac si omnes in id consensissent. Præterea ut cuilibet nihil exoptatius obtingit, quam si, deficiente alio remedio, in sua causa obtineat, quod ipsi major pars adjudicavit; ita nec ipsi stomachum facere debet, si contra ipsum à majore djudicantium parte aliquid decretum fuerit, *ii. ff. Quod quisq. jur. in alium stat. Coccej. de Eo quod justum est circa numer. suffrag. Sect. 1, §. 1. seqq. Ziegl. in Dicast. Concl. 42. §. 2. seqq.*

IV. Equidem non negandum, à paucioribus usq; prudentiori.

tioribus sapè melius inspici veritatem, atque ab illis magis expendi, quid expediat, quam à pluribus imperitis, qui cœco impetu ad aliquid statuendum rapiuntur. Rationi vero consentaneum est, ut quod prudentioribus placuit, præferatur ei, quod à minus prudentibus decretum, nec eadem patitur, ut imperitorum sententia vincat aliorum sapientissimam. Si tamen hæc ad Praxin applicanda, haut sua carebunt difficultate. Quis enim hic arbiter erit, utrius sententia prudentior sit decenda? non iudicabunt de ea dissentientes partes, quia quisque suum votum semper putabit sanius & ponderosius esse Becker in *Synopsi Jur. publ. lib. 4. c. 1. n. 13.* Nec tertius iudex esse potest, quia huius decusum & prudentia in dubium quoque vocari potest, an forte ductus affectibus & studio. Unde cum de eo, qui in aliquo Collegio jus suffragandi habet, tantum prudentiæ inesse præsumatur, quantum expediendis negotiis, quæ ibi disceptantur, sufficit, tutius est & æquius, à pluralitate votorum decusum perire, cum in primis ea faciat ad expedienda negotia publica Coccej. *l. §. 2. & 6. Carpz. Decis. 82. n. 22. seqq.* *Numerantur enim sententia, non ponderantur, nec aliud in publico consilio potest fieri, in quo nihil est tam inæquale, quam æqualitas ipsa. Nam cum sit impar prudentia, par omnium jus est,* inquit Plin. *Lib. 2. Epist. 12.* Atque ita cunctis fere Gentibus servatur, quod causæ decisio plurium suffragiis committatur, quorum exempla vide apud Klock. *de Contribut. cap. 6. n. 42. seqq.* Engelbrecht. *de Plural. vot. §. 12. seqq.*

V. Jus Canonicum non ad numerum solum, sed ad rationem quoque, cui numerus iste innititur, respiciendum esse, & minorem partem, quæ sanior, majorem non saniolem irritam reddere posse, velle videtur. Ita in electione per suffragia facta, ille demum electus censetur, quem major & sanior pars elegit, ut apparet ex *c. 21. 35. 42. X. de Elect. & Electi potest. c. ult. X. de his, quæ sunt à maiore parte.* Verum, quia in his textibus major semper & sanior pars conjungitur, si minor quidem sanior appareat, non simpliciter illa infringere poterit, quod a maiore parte constitutum erat *c. 1. X. de his quæ sunt à maj. part. arg. c. 6. X. de*

Reb.

Reb. Eccles. alien. Unicus casus exceptus est, si major indignum in ordinibus scienter elegerit c. 22. X. de Elect. tunc enim à minore parte electus præferendus electo à majore parte, eo quod hæc pars, dolose & fraudulenter tractando negotia, electione sua se indignam reddiderit. Coccej. d. l. §. 15. Quin cum observata difficultas in dijudicanda votorum sanioritate, ut ita loquar, à Patribus Concilii Tridentini Sess. 25. de Regul. c. 6. decretum fuit, ut simpliciter ad majora vota respiciatur, modo illa ipsa legitima sint, & persona electa non indigna deprehendatur.

VI. Habenda itaque inter discrepantes sententias potior ratio plurium, & quidem sine discrimine personarum suffragantium, utrum alia aliis præemineant, cum in Collegio omnes æquali jure gaudeant. Hic enim minus digni digniorum partes sequi non tenentur, sed qui majora vota pro te habent, cæteros indistincte ad suas partes trahere, & ad unitatem multitudinem quasi redigere possunt. Ziegl. d. l. §. 6. seqq. Huber. de Jure Civit. lib. 1. Sect. 8. cap. 4. n. 49. Coccej. d. l. §. 4. Hinc factum ex pluralitate suffragiorum conclusum instar Legis habendum, quod omnes obligat, cui ab illis, qui ab initio dissenserant, nullo modo contradici potest, sed actus, qui isti contrarius, ipso jure nullus est, quia forma præscripta destituitur L. 5. ff. de LL. L. 6. ff. Qui satisd. cog. L. 8. §. 2. ff. de Bon. possess. contr. tabb. L. 12. C. de Testam. Klock. Tom. 1. Consil. 28. n. 44. Itarursus Plinius: Singulos, re integra, dissentire fas est, peracta, quod pluribus placuisset, cunctis tuendum Lib. 6. Ep. 13.

VII. Enim vero hic regularis Pluralitatis votorum effectus est, quæ regula tamen multis in casibus officium suum perdit, de quibus nunc agendum. Primo nihil concludunt plurima vota in iis, quæ contra jus divinum statuta v. gr. ne cultus divinus infiruetur, vel ne Cæsari detur, quod Cæsaris est Gronov. ad Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 5. §. 17. Contra tale jus enim ne quidem potentissimus in Orbe terrarum quicquam statuere potest, quia ipse Divinis Legibus subjectus est, qui, ut inferior, sui Superioris

ris Legibus nulla ratione derogare potest. Arnifæus in *Doctrina Polit. L. 1. c. 11. p. 272. seqq.* Hert. in *Jurispr. Univ. Sect. 1. S. 8.*

VIII. Proindê *Secundo* nec in causa Religionis circa aliquod fidei dogma votorum pluralitas quicquam definire potest, sed unanimitas eorum requiritur. Religio enim ad singulos pertinet, non ad universitatem qua talem, ergo à singulis etiam approbari debet. Insuper Religio fidem in cordibus hominum concernit, quæ mediante auditu & diligenti lectione verbi Divini excitatur ac augetur, non hominum sententiis implantatur. Reinking *de Regim. Sec & Eccles. Lib. 3. Classe 1. cap. 4. n. 20.* Strauch. *Diff. Jur. publ. 7. tb. 3.* Klock *de Contribut. cap. 6 n. 4.* Limn. in *Jure publ. Lib. 9. c. 1. n. 181.* Germanis hac in re cautum in *Instr. Pac. Osnabr. Art. 5. S. 51.* *In causis religionis, omnibusque aliis negotiis, ubi Status tanquam unum corpus considerari nequeunt, ut etiam Catholicis & Augustanæ Confessionis Statibus in duas partes euntibus, sola amicabile compositio lites dirimat, non attenda votorum pluralitate.*

IX. Non *Tertio* ex pluralitate votorum aliquid contra Principem concludendum erit, qui durus ac malus suis subditis videtur. Malitia enim Principis non est sufficiens causa, ut de throno dejiciatur, & imperium in populum, super eo judicandi, conferatur, sicut bonitas actuum non sufficit ad aliquem in regale solium collocandum Grot. *de Jure B. & P. L. 1. c. 3 S. 9.* Miserrima esset Principum conditio, si facta eorum liceret subditis perstringere. Nam cum omnibus satisfacere nequeat, qui minus obtinuerunt, quam in votis habebant, semper de injuria conquerentur, & ad vindictam reliquum populum sollicitabunt. Erit forte major ejus pars, quæ regnandi cupidine inflammata, vel novitatis studio instigata, vel odio, ob pœnas sibi justè inflictas, contra Principem flagrans, an illa ad formandum conclusum contra eum audienda erit? ita sanè ad libidinem populi exposita esset Principis corona, quod minimè tamen ferendum. Ziegl. & Tesmar *ad Grot. d. 1.*

X. Ut à pluralitate fiat decisum, requiritur quoque, ut suffragia juxta Leges, & formam præscriptam fuerint prolata, alias

alias contra illas enuntiata effectum omnem actui detrahunt
*L. Non dubium s. C. de LL. L. 5. C. de Sent. & Interloc. Barbosa The-
 saur loc. comm. Lib. 6. cap. 31. axiom. 5. & 9.* Hinc si quidam, qui
 jus suffragii ad illum actum habent, de quo deliberatio instituenda
 est, non legitime ad certum locum uno eoque tempore vo-
 cati fuerunt, Quarto praesentes nihil concludere possunt, *L. 2. C.
 de Decur. L. pen. C. de Legation. L. 2. C. de Praed. Decur. c. 36. X. de
 Elect. & electi potest.* Iniquum enim & contra intentionem colle-
 gium constituentium est, ut absentes, praesentium conspira-
 tione, juribus suis, quibus ignorantes renunciaffe dici non po-
 test, absque ulla sua culpa priventur. *Freundeberg de Rescript.
 morat. Tit. 6. Concl. 16. n. 10.* Hinc optimè *Cellus in L. 39. ff. de Re
 jud. Duo ex tribus iudicibus, uno absente, judicare non possunt, quippe
 omnes judicare iussi sunt. Quod de arbitris quoque dicitur in L. 17.
 §. fin. ff. de Recept. qvi arbit. recep. quia potuit praesens tertius re-
 liquos in suam sententiam trahere.*

XI. Aliter statuendum, si, qui legitime vocati, vel ex ju-
 sta causa, vel per contumaciam, non comparuerint, tunc enim
 praesentium suffragiis valide concluditur, & praesentibus accre-
 scit jus absentium, utpote qui juri suo tacite renuntiasse, & suas
 vices praesentibus demandasse videntur, ne Respubl. damnum
 patiatur ab intermissione vel dilatione consultationis ob ali-
 cujus absentiam. de *Jena de Rat. Status Diff. 14. Concl. 2. Mev. ad
 Jus Lub. lib. 1. tit. 1. art. 2 n. 27.* Quod adhuc obtinet, si quidem
 praesentes sint, sed votum ferre recusant, & neutrarum par-
 tium esse volunt. Nam cum illa, quae expressa sunt, tantum
 noceant *L. 195. ff. de R. J. illi qui praesentes loqui nolunt, voto
 majoris partis praedjudicare nequeunt. Engelbrecht. c. 1. §. 53.*

XII. In hoc casu tamen, si omnes ad suffragandum vocati,
 & aliqui illorum emanerint, Jure Civili statutum, non posse à
 praesentibus concludi, nisi duae partes Collegii ad minimum ad-
 fuerint, v. gr. si numerus Collegiarum sit duodenarius, octo mini-
 mum praesentes esse debent, ut illorum conclusum subsistat *L. 3.
 ff. Quod cujusque Univ. Nom. L. 3. ff. de Decret. ab Ordin. fac L. 45. C.*

de

de Decur. Quod quidem usu fori quorundam locorum non attendi testatur. *Mev. c. l. n. 26.* ut & pauciores praesentes, quam absentium numerus est, sibi posse vindicare statuendi potestatem existimet. At fore hoc ad causas leviores tantum restringendum erit. In arduis & gravioribus consultius est eas, donec ad requisitum numerum Senatores convenerint, differere, ne sese praesentes culpa vel odio aliquo onerent. *Dn. Michael Grass. de Offic. Senatoris circa votum §. 27.* *Dn. Böhmer. Diff. de Causis arduis & majorib. cap. 2 §. 14.* Unde hic Quintus casus erit, in quo majori parti suffragantium locus non datur.

XIII. Si non libera fuerint suffragia, sed ad alicujus autoritatem, favorem vel odium elcita, Sexto non dabunt pluralitati effectum suum. Ut suffragia sine suo potiantur, qui est, ut, expensis omnibus circumstantiis, proposita causa ad salutem reipublicae, satisfactionem partium, & securitatem propriae conscientiae decidatur, debent subniti intellectu, ratione & justitia, remotis ambitione, odio, autoritatis praesudicio, aliisque pravis affectibus. Quis vero ab his purificatum suffragium proferre potest, cui non licet liberè calculum suum addere, sed ab alterius autoritate pendens assentiri cogitur, prout ille suo voto decisum formatum cupit. Consequens est, ab ejusmodi compulsa suffragiorum pluralitate decisum effectum suo destitui. *Dn. Böhmer de Libert. Suffrag. in Colleg. publ.*

XIV. Privata ac clancularia plurium conspiratione Septimo efficitur, ut suffragia vim suam amittant, si illa nempe prius res definita, quam in consultationem fuit deducta *Gronov. d. l.* Nec enim rationi nec justitiae convenit, vota ostiatim colligere, cum in ipso potius Collegio & Senatus confesso ferenda & colligenda sint, ut suffragantes aliorum rationes percipiant, & audiant, quomodo omne negotium cum circumstantiis suis cohaereat. Possunt enim alterius argumenta majoris momenti esse, & ab alio negotii circumstantiae melius sciri & expendi, quae in applicatione juris accuratè attendi & trutinari debent. *Grass. d. l. ib. 28.*

XV. In

XV. In negotio Electionis & vocationis ministrorum Ecclesiæ pluralitate votorum sæpe cum detrimento Ecclesiæ contra Leges peccari, quot dies non monstrat exempla? In vocando ad munus sacrum ante omnia præcedere debet interna ejus vocatio, quæ sese exferit, quando apud se stimulum advertit ad sacra tractanda, & ad animas ad Christum ducendas, post externa sequitur vocatio. Venerand. D. August Hermann Franck in *Sonn-Fest und Apostel-Tags Predigten* / *Homil. ad 3. Dominic. Pentecost. P. 1. p. 908. seq* At non omnes de illa interna vocatione solliciti sunt, sed tantum externa officii curant, honorem & vitæ commoditatem. Nihilominus videmus à majore auditorum parte, non explorata illa interna vocatione, sæpe in tales consentiri. De illis rectè censet Scriver im *Seelen-Schatz* / *P. 1. homil. 2. S. 58. p. m. 301.* inquit: Ein rechtschaffener Prediger, der in seinem Ampte gedendet Nutzen zu schaffen, muß durch Gott beruffen und gesand seyn, er muß durch Christum Jesum, als die rechte und einige Thür zu den Schafen eingehen, und vom H. Geist getrieben sich dieses hochheiligen Ampts unterfangen. Zwar muß er auch einen rechtmäßigen und untadelichen Beruff von Menschen haben. Doch fraget man billig und am ersten nach dem innerlichen Beruff von Gott. Keine Gemeinde, und niemand der einer Gemeinde hierinn fürstehet, sol einen zum Seelen-Sirten beruffen, es sey denn das sie den göttlichen innerlichen Beruff an ihm verspüren. Es wird mancher zum heiligen Predigt-Ampt beruffen, der besser wäre zu einem Soldaten, zu einem Kauffmann, Statisten, oder Juristen, die sind denn auch in solchem hochwichtigen Handel nicht viel nütze, werden oft Schand-Flecke und Eiterbeulen der Kirchen, und richten Aergerniß und Hergleyd an; Sie suchen Geld und gute Tage, und lassen es gehen wie es gehet. Ich nenne aber den innerlichen Beruff einen lebendigen und thätigen Glauben an den H. Erren Jesum, eine brünstige Liebe zu demselben, einen göttlichen Eifer um seines Nahmens Ehre, ein herzliches Verlangen

B

sein

sein Reich fortzupflanzen, einen unermüdeten und unverdroffen Fleiß Seelen zu gewinnen, wie auch allerley andere Gaben des Heiligen Geistes, als da sind die Weisheit und Wissenschaft der göttlichen Geheimniß, rechter Verstand des Worts, das lebendige Erkantniß des HErrn Jesu, Freudigkeit im Geist, Krafft, Stärke, Andacht, Gebet, Erfahrung und dergleichen. Dieser innerlicher Beruff, der durch Gottes Gnad und Geist geschieht, muß vorher gehen für aller äufferlichen Menschenwahl, Beruff und Bestätigung *ic. Add. S. seq. 59.*

XVI. Externa vocatione juxta doctrinam Apostoli ad ministerium Ecclesiasticum eligendus, qui viva sacrarum literarum scientia & eruditione aptus ad docendum ac irreprehensibilis *1. Tim. III. 2. ad. Tit. I. 6. 7. vid. Scriver d. l. S. 63. p. m. 305. seq.* Arnold in der geistl. Gestalt eines Evangel Lehrers nach dem Sinn und Exempel der Alten *c. 1. & 5.* Hinc vita bene actæ testimonio instructus *1. Timoth. III. 7. c. 27. Dist. 63.* Simul virtutibus ornatus esse debet, pietate, humilitate, mansuetudine, castitate, & in schola crucis probatus, cum ejusmodi tentationum exercitia peritiam operentur, & suggerant arma contra tentatorem, verbumque Dei efficax ac vivum reddant, & solatii materiam præbeant apud eos, qui similia patiuntur *2 Cor. I. 4.* Hartmann in *Pastorali Evangel. lib. I. c. 6. S. 8. 11.* Debet enim exemplum gregis esse minister Ecclesiæ *1 Petr. V. 3. ad Philipp. III. 17.* qui veritatem, quam ore profitetur, ipso deinde opere in mendacium, cum summo animarum suæ curæ commissarum detrimento, non convertat. Brunn, in *Jure Eccles. Lib. 1. cap. 4. S. 9. 10. 11. 12. 14.* Wolf. in *Instit. Jurispr. Eccles. Lib. 1. cap. 5. S. 2.* Audendus hic iterum Scriverus *d. l. S. 67. p. 310.* cujus verba: Ein Prediger muß nicht nur in der Kirchen, und wenn er heilige Berichtigungen hat, geistlich und erbar seyn, sondern wenn er sonst unter die Leute kommt, in Gastmahlen, auf Hochzeiten, bey Gesellschaften, auf reisen *ic.* Gleich wie der Mensch, spricht ein alter

alter Lehrer, (Chrysof. *hom. 3. in Matth.*) wo er auch ist, vor allen andern Thieren leicht erkant wird, also gebühret sich, daß ein Lehrer, er rede oder schweige, er sey in Gastmahlen oder anderswo, es andern Leuten zuvor thue, daß man an seinem Gange, Ansehen und gangen Wandel seine Fürtreffigkeit im Christenthumb erkennen könne. Er muß, wie er anderswo redet, seyn ein öffentliches Bild der Gottseligkeit, ein lebendiges Gesetz, eine Niegel und Gränzstein eines heiligen Lebens: Der Priesterrock Aarons war am Saum nicht nur mit klingenden Cymbeln oder Schellen, sondern auch mit Granat-Aepffeln gezieret, anzudeuten, daß bey einem Prediger müsse seyn, nicht allein eine ruffende und lehrende Zunge, sondern auch ein heiliger Wandel, mit allerley Glaubens-Früchten geschmücket. Wo dieses nicht, sondern das Gegentheil sich befindet, da ist wenig Erbauung der Gemeine zu hoffen. Denn ob zwar die Wirkung des heiligen Geistes durchs Wort, an des Lehrers Leben, es sey gut oder böse, nicht gebunden ist, das Wort auch seine Krafft mit sich führet, wenn es schon durch einen unreinen Mund, wie ein Wasser durch eine untaugliche Röhr fließt, daher man auch wol Exempel findet, daß die Predigten der unheiligen Lehrer die Herzen kräftiglich bewogen haben, so ist doch gewiß, daß ein gottloser Lehrer, so viel an ihm ist, dem Worte Gottes eine Hinderniß machet, und seinen Zuhörern zum Aergerniß und zum Anstoß gedeyet. --- Ich gestehe nochmahlen, daß die rechtschaffene Christen, wie auch die hungerige und dürstige Herzen, welchen oft umb Trost bange ist, ihren Nutzen aus gottloser Lehrer Predigten auch schaffen können, und daß sie aus Christi Liebe, deren Sünden nicht sehen wollen, und sie auch bey andern helfen entschuldigen. Allein wir handeln hier zuvörderst von den Unbekennten, welche sich nach dem Leben mehr als nach der Lehre zu achten pflegen, und mit den Strafen eines unbusfertigen Lehrers ihr Gespött treiben. Vide pro uberiore horum deductione Spener. *Consil. Theol. Germ. P. 1. p. 74. seq. p. 159.* Item in der **allgemeinen Gottes-Gelahrheit**

p. 126. seqq. im Thätig. Christenth. P. 1. p. 774. seqq. p. 944. seqq.
in den Glaub. Lehren p. 243. seqq. p. 378. 494. Dn. Francke c. l.
P. 2. p. 249. usq. 253. & alios,

XVII. Sunt necessaria hæc requisita vocandi ad sacrum ministerium. Ab illis vero sæpe eligentes deviant, & ad externa eligendi dona commoventur, quæ ut plurimum in lingua & externa docendi gratia consistunt, sed sola ad veram & sufficientem Ecclesiæ ædificationem parum vel nihil proficiunt, cum regnum Dei non in sermone, sed in virtute ac spirituali efficacia consistat, 1 Cor. IV. 20. *Faceſſat, vero inquit Hartmann d. 1 §. 10. inanis loquacitas, quæ nihil solidè, nihil in tempore & ordine, sed confuse omnia sistit, ne rabularum forensium instar linguam habere venalem, ad clepsidram perorare, & tempus duntaxat fallere videantur* add. Scriber c. l. §. 72. p. 315. Cum autem ejusmodi electio non fit, ut ex LL. præscripto fieri debebat, non difficilis est conclusio, invalidam quoque hoc casu pluralitatem votorum esse, quod Octavum ejus exemplum est.

XVIII. Quæ dixi de vocatione ob externa Cand' dati dona pluribus constabant ex verbis B. Speneri im Evang. Gl. Trost P. 3. p. 987. quæ digna sunt, ut hic legantur: *Also sehen wir, inquit, es wird von einem Prediger nicht allein erfordert der obengedachte äußerliche Beruf von oder durch Menschen, sondern auch ein so fern innerlicher Beruf von Gott, das ist, daß er von demselben zu seinem Ampt auch tüchtig gemacht und ausgerüstet seye. Es bestehet aber solche Tüchtigkeit nicht vornehmlich in einer schönen, starken oder anmuthigen Aussprach (wie manche, wo sie einen Menschen hören, der eine schöne vernehmliche Sprach habe, davor halten, daß dergleichen fast das vornehmste requiritum eines Predigers wäre) nicht in einem fertigen ingenio natürlicher Geschicklichkeit, eine Sache fein ordentlich und verständlich vorzustellen, nicht in einer Wolredenheit, und daß die Worte fein ohn Anstoß fließen, nicht in menschlicher Kunst und erudition, der Philosophie oder ander Wissenschaften, ja auch nicht*

nicht bloß in der Theologischen Geschicklichkeit und der Schrift Buchstäblicher Erkänntniß. Denn alle diese Dinge sind, wo sie sich finden, da das Hauptwerck auch da ist, seine theils Zierden, theils Beförderungs-Mittel desselben, nicht aber dasselbige selbst, und kan noch ein Mangel an denselben, als an diesem eher ertragen werden. Was ist aber denn das Hauptwerck? die wahre lebendige Erkänntniß Christi/ des Glaubens und der Heiligung. Wo diese rechtschaffen ist, so ist der Mensch zum Hirten-Amt geschickt gemacht, und hat in diesem Verstand einen innerlichen Beruff, obwol die oben erzehlte Dinge, theils in schwacher Masse, theils gar nicht vorhanden wären. Wo aber diese lebendige Erkänntniß Christi, und seiner Lehre nicht ist, so ist ein Mensch nicht von Gott geschickt gemacht, und also innerlich beruffen, ob er auch alle obige Qualitäten in großem Grad hätte, sonderlich der gelehrteste Theologus wäre. Die Ursache ist diese, ohne diese lebendige Erkänntniß Christi, ist seine Theologie nur Worte und Gedanken, ohne Licht und Kraft. *ic.*

XIX. *Ista externa Eligendi qualitas, quæ, ut dictum, in lingua aut gestibus sese exserit, ut plurimum occupat imperitum vulgum, ut in locis, ubi ad suffragandum admittitur, sine prævia inquisitione in necessaria Candidati requisita, unanimi consensu illico acclamet, & in ejus electionem consentiat. Hanc vocem populi, inveniunt, esse vocem DEI, malè tamen & ex falso præsupposito, cum DEUS, qui Autor ordinis est, nunquam absque ordine velit audiri. Aliter & prudentius de hoc vulgato asserto judicatum ab Episcopis Remensibus apud Marcum Antonium de Dominis de Republ. Eccles. P. 1. lib. 3. c. 3. §. 58. qui inveniunt: Non erat vox Domini vox clamantis: crucifige, crucifige: nec omnia cleri & populi vota in electione episcopi perquirenda sunt, sed tantum simplicis & incorrupti, & spe questus minimè affecti. Vana magis talis populi vox est, quæ proinde non audienda per L. 12. §. 1. C. de Pœn. & sæpe ad turbamenta vulgi valet, quorum passim in historiis profanis & sacris occurrunt tragica exempla. Vid. Becmannus speciali Disput. de Turbamentis vulgi.*

XX. Secundum canones electio ministrorum Ecclesia fieri debet in pace & sine strepitu, à viris autoritate gravibus & exactissimis ingeniorum & qualitarum censoribus, non ad nudum clamorem populi, alioquin non subsistit ea *c. 27. Dist. 63. c. 16. C. 8. qv. 1. c. 2. X. de Elect.* Olim quidem non infrequentes leguntur acclamationes populi, quibus consensum suum publice edebat, & mentis hilaritatem testabatur, suntque exempla Augustini, Erodii, Hieronymi & aliorum, quorum electiones hujusmodi acclamationibus perfectæ fuerunt. Cum ab illis vero successu temporis non solum populi imprudentia emicuerit, verum etiam turbulentæ redditæ illæ fuerint, quæ ad dissensiones & factiones ansam dederunt *c. 17. C. 8. qv. 1.* ita ut quælibet factio in populo non votis & ordine præscripto egisse, sed vi & facto, ac suum, quem præoptavit, Candidatum, Ecclesiæ obrufuisse visa, Patrum dictis improbatæ illæ penitus sunt Chrysofom. *de Sacerdot L. 3. c. 13.* & Decretis Pontificum inhibita *c. 5. Dist. 61. c. 6. Dist. 63. c. 9. Dist. 79.* In timore Domini & precibus ejusmodi negotium suscipiendum est. A pio vero hoc requisito clamantes longissimè recedunt, qui suis vociferationibus, non sine publico scandalo, vocationem ministri ecclesiæ corrumpunt, & eam Ecclesiæ obrudunt. Inde ingens in ipsam Rempubl. jactura redundat, cum per tales acclamationes vinculum civile dissolvatur, & finis Reip. qui promoveri ex juramento subjectionis debebat, evertatur. Redundat damnum in singulos, dum singulorum salus dependet ex ordinata & placida vocatione ministrorum. In ipsum denique DEUM acclamantes tales injurii fiunt, cujus voluntatem, in electione & vocatione ministrorum Ecclesiæ observandam, spernunt & contemnunt. Vide ex professo hæc tractantem illustr. Böhmerum *in Jure Eccles. Protest. Lib. 1. tit. 6. §. 17. seqq.* & in peculiari Disput. *de Injustitia vocationis factæ ad clamorem Populi.*

XXI. Elucescit, licet talis vocatio facta sit ex plurimorum sententiis, quia tamen penitus vitiosa est, illam *Nono* nullam vim obtinere, ad legem omnibus imponendam. *Quæstio* proin-

proinde movetur: an vocatus ad clamorem populi salva conscientia vocationem suam accipere queat? & negatur, quia talis satis judicare potest, hanc viam eligendi esse illegitimam, turbulentam & seditiosam, adeoque non à DEO, pacis Autore, proveniente, sed ab hoste omnis tranquillitatis & promotore seditionis, qui semina odii in via Christi spargit. Ipse ita vocatus peccat, tum quod conniveat circa tales turbas & seditiones, quas categorica animi sententia, ostendendo populo, quod nolit nec possit talem vocationem admittere, impedire possit; tum quod admittat in se vocationem illegitimè impetratam, ad quam non nisi illegitima via in ovile Christi ingredi, consequenter nunquam bona conscientia esse potest. Si adhuc ab aliquo defecto inveniatur suspectus & invisus, peccat, si à se suspicionem illam non amoliat, & cum effectu innocentiam suam purget.

Nam ita de tali casu judicat B. Spener. in *lesten Theol. Bes. denken* P. 1. c. 2. art 2. Sect. 26. Ob dann nun wol derselbe sich entschuldigen, und die Sache auf sein Gewissen nehmen wil, auch auf Zeugnisse, die er theils bereits habe, theils noch erwarre, sich beziehet, ist mir solches noch nicht genug, deswegen seine Unschuld zu glauben. Zwar kömmt mir nicht zu, ihn positive zu verurtheilen, als der zu seinem Richter nicht gefezet; so viel richtet es aber bey mir billig aus, daß ich das geringste zu seiner Beförderung beyzutragen mit gutem Gewissen nicht vermag, bis derselbe seine völlige Unschuld auch vor der Welt dargethan. Es ist das Predig-Ampt ein solches heiliges Ampt, daß in demselben keiner gelitten werden solle, der eines dergleichen groben Lasters schuldig ist, oder wo er nur dessen beschuldiget worden, nicht alles mögliche thut seine Unschuld zu erweisen. Vielweniger kan einer zu solchem heiligen Ampt vorgeschlagen werden, von welchem man einen ziemlichen Argwohn und Verdacht hat, indem der Schade, der einer Gemeinde von einem solchen Menschen zu sorgen, allzu groß ist, als das man es mit einem wagen sollte, so lange solcher Verdacht nicht zu Versicherung des Gewissens dauirt ist.

XXII. Porro

XXII. Porro quæritur, utrum ad clamorem populi electus, durante tali clamore confirmatus & inthronifatus, refrigerante postea impetu, deponi rursus possit? licet vero ideo, ne excitetur scandalum publicum, ab officio sacro removendus non videatur, quod ordinatus & inthronifatus talis minister jam sit, & quod ipse innocens esse queat, & penes populum omnis culpa residere; quia tamen hic omnis vocatio & inthronifatio ipso jure nulla, nihil contra jura committeretur, si talis ab ovili Christi rursus removeretur. *c. 9. Dist. 79.* ut potius excusari non posse videatur, qui id omitteret, quia cum damno Ecclesiæ fieret, ejusmodi vitiosum & illegitimum negotium sub effectu legitimæ vocationis conservare velle. Conf. in utramque hanc quæstionem Dn. Böhmer. *in Jure Eccl. Protest. d. l. §. 37-ubi in seq. §. 38.* Officium magistratus & ministerii ecclesiastici circa tales vocationes exponit. Pertinet huc sententia Speneri: Ich vor mich bekenne des Sinnes zu seyn, daß es ein so GOTT gefälliges Werk seye, einen ärgerlichen Prediger zu removiren, als immermehr es seyn mag, einen guten einzusetzen und zu erhalten. So gilt bey mir auch nicht, wie es oft heißt, man müsse des heiligen Ampts schonen, und dasselbe nicht beschimpffen, sondern ich halte, derjenige schone des Ampts und heilige es am wahrhaftigsten, der keinen darin leiden will, dessen sich das Ampt zu schämen hat, in den Theol. Bedencken *P. 1. c. art. 1. Sect. 6.*

XXIII. Ex principio supra tractato §. 8. in eo quod ad singulos, non ad Universitatem spectat, majora suffragia concludere non posse, plura adhuc fluunt. Unde *Decimo* jura & privilegia singulis competentia non possunt per majora illis auferri. In his enim cuilibet separatim jus quæsitum est, quod totum collegium non concernit, in quo proinde pluralitate votorum, tanquam alieno facto, ille quoque prægravari nequit *L. 33. §. 1. C. de Inoff. Testam. Klock. Tom. 1. Consil. 35. n. 307. seqq. Limn. c. l. n. 184.*

XXIV. In impositione collectarum quæstio oboritur, utrum ea fieri possit à majore parte consentientium, ita ut dissen-

sentientes ad eas solvendas obligentur quoq̄, an vero hi, qui consenserunt, ab illis eximi debeant? quæstio hæc in abstracto & in genere, sine omni applicatione ad certam & particularem rempubl. consideranda, & ex distinctione inter collectas *necessarias*, quæ urgente necessitate ac ob evidentem Reip. utilitatem imponuntur, & *voluntarias*, quæ liberrima voluntate ex alicujus patrimonio contribuuntur, decidenda. Ad *necessarias* solvendas pluralitas suffragiorum obligat dissentientes quoque. Quis enim hic non obligatum diceret illum, qui bonis & sanguine suo Reip. consulere debet, qualis quilibet in civitate subditus est? Et qui posset probari, unius vel alterius licentiâ instantia Reip. mala accelerare licere, quæ averti possent consensu plurimorum. Collectæ non pertinent ad singulos in civitate, licet ex singulorum bonis, pro cujusvis facultate colligantur, sed conjunctim spectant ad totam civitatem. In hac ergo consideratione plurimorum calculi ad decisionem causæ trahendi erunt. Econtrario *voluntaria collectæ* cujusvis liberalitatem & gratuitam largitionem attingunt, à qua omnis coactio aut displicentia abesse debet. Unde quamvis causa, ob quam collectæ colliguntur, publica sit, quia tamen de auferenda re hic agitur, liberrima ejus contributio esse debet, & sic *Undecimo* dissentientes per pluralitatem votorum obligari nequeunt. Ziegl. *de Jur. Majest. lib. 2. cap. 3. § 3. seqq.* Conring. *Diff. de Comit. §. 56.* Klock *de Contrib. cap. 6. n. 53. seqq.*

XXV. In delictis, quæ à civitate committi possunt vgr. rebellionem, metus incussione &c. *Duodecimo* non erunt pro complicibus delicti habendi, qui cum plurimis in illud non consenserunt. Ut enim deliquisse intelligatur universitas, debent cives cum capite & membris per sonitum campanæ, rubæ vel alium consuetum motum convocari, propositio ad delinquendum fieri, & unanimi consensu concludi. Quod intelligendum si delictum in committendo consistat, & tractum successivum habeat. Si enim consistat in omittendo, aut transitorium sit, etiam à civitate absque tali convocazione & consilio illud committi potest. Knipschild *de Jure Civis. lib. 5. cap. 7. n. 15. seqq.* Ut vero his casibus talis deliberatio non æquè necessaria, si tamen rati habitio accesserit, adhuc ipsa civitas deliquisse censetur *L. fin. C. ad SCi. Maced. l. 18. ff. Mandati.* Interim non consentientes, ut rei, ad pœnam cum consentientibus condemnari nequeunt, cum ex alterius delicto nemo prægravari debeat. *arg. L. 7. pr. & § 1. ff. Quod cujusque Univ. nom. Præterea & noxa caput sequitur L. ult. ff. & L. 1. C. de Noxal. act. Engelbrecht*

brecht de *Plural. votor.* §. 39. vid. *Exerc. nostr. Sabbath. de Univ. delinqu.* 29^o *Part. prior.*

XXVII. Ita ex his jam prolatis apparet, istam suffragiorum pluralitatem in variis casibus nihil facere ad formandum conclusum & obligandum omnes & singulos. De ambitiosa & venali suffragiorum multitudine, quantopere noceat Reipubl. differit Marcus Foscarus, profunda prudentia vetus apud Venetos Senator, inquires: *Rempublicam, prodi multitudine & malignitate suffragiorum, brevique perituram, nisi paucorum fidei iudicioque salubriter commissa maturè sanaretur.* Is multitudine rogatorum, qui dicerent sententiam, inde offensus, ad quinquaginta viros, qui usu rerum, fide, charitateque patriæ probabantur, gravissimi atque maximè arcani consilii summam revocabat. Ita rebatur multorum insaniam paucorum sapientia superari posse. Sed ad hæc mox tanta Foscarus invidia deflagravit apud multitudinem, ut rogatorum ordine ejiceretur, spoliatusque omni honore, diu in singulis comitiis pudendam Reipubl. repulsam ferre teneretur. Paul. Jov. in *Hist. sui temp.* lib. 39. p. m. 236. in f. lit. E. F. G.

XXVII. Sicut vero his casibus nihil efficitur pluralitate suffragiorum, ita multo minus ad conclusum formandum votorum paritas valet, quam Calculum Minervæ appellant Boecler. *Diff. de Calculo Minerva.* Consequens est, reum paribus sententiis judicatum quasi absolvi, non innocentia aut jure causæ, quia non penitus innocens est, sed beneficio legis, humanitate & misericordia. Cum enim status mutari nequeat, nihilque novi fieri possit, si neutra pars mutandi causæ prævaleat, actor hic quoque vincere nequit, quia victoria tantum à viribus superiore proficisci potest, qualis hoc casu nullus est, ut ita delictum, si quod est, impunitum maneat, à defectu condemnantium. Arod. *Pandect. Rev. judicat. lib. 5. tit. 22. cap. 6.* Huber. *de Jure civit. lib. 3. Sect. 20. cap. 6. n. 3.*

XXVIII. Ne tamen ob paritatem votorum negotium, quod moram & dilationem non patitur, trahatur, multis in locis à Præside Judicii alterutri suffragantium parti votum suum connumeratur, quod duobus aliis æquiparatur, ut ita majora efficiantur. Blum. in *Proc. Camer. Tit. 75. n. 38.* Rennem. in *Jurapr. Rom. Germ. P. 4. Diff. 45. th. 13.* Ziegl. c. 1. §. 13. Alias jure civili constitutum est, ut in eam causam accipiantur conclusum, quæ favorabilior, puta matrimonii, dotis, testamenti, piæ causæ L. 8. ff. de *mass. test.* L. 38. ff. de *re jud.* vel, si favor causæ cesset,

in favorem rei explicetur, cujus partes longè favorabiliores sunt, quam actoris *d. L. 38. L. 129. ff. de R. J.* cum maximè judex semper debeat esse facilior ad absolvendum quam ad condemnandum reum *L. 47. ff. de O. & A.* Operatur etiam possessio, ut in paritate votorum pro possessore decidatur, quia, nisi contra eum fortior probatio adducta fuit, possessio dominii præsumptionem justitiæ præ se habet *L. 3. ff. de Usuc. L. 20. C. de pact. l. 2. S. ult. ff. pro herede. Carpz. Dec. 82^a n. 30. seqq. & P. 1. Const. 27. D. ult.*

XXIX. An forti possit dari locus, ubi paritas est votorum, ut ab ea petatur decisio, quari potest? neg. si res est, quæ votorum decisioni commissa, sive ea judicialis sit, & in judicio tractetur, sive extrajudicialis, & vgr. ex testatoris dispositione votorum pluralitati subjecta, ut si stipendum conferendum, quia, 1. sorte adhibita contra testatoris voluntatem agitur 2. per illam casu, non judicio humano, uti debet, res deciditur 3. fors tam probis quam improbis, tam dignis quam indignis & immeritis cadit, cujus beneficio improbi à pœna liberari, & indigni ad beneficia vocari possunt, hinc 4. cum damno suo in Republica malè meriti homines tolerandi, de ea melius meritis auxilia neganda essent.

XXX. Si non adsit paritas affirmantium & negantium, sed sententiæ in tres aut quatuor partes abeant, difficile est judicare, quæ sententiæ conjungi, & quæ dividi debeant, & sic ex conjunctis formari conclusum? A Gellius *Lib. 9. Noct. Attic. c. 15.* in casu, ubi tres judices morte reum puniverant, alii duo exilio, duo reliqui pecunia, putat mortis pœnam prævalere. Ant. Tessaurus *Dec. 1. n. 12* in hac specie existimat, in favorem rei judicandum esse, cum quatuor ex septem in illo conveniant, ut à morte liberetur reus. Sed Antonius Faber ab eo dissentit in *Cod. lib. 1. tit. 7. def. 3.* quia, etsi à pœna capitis plurium sententiis liberetur reus, ex numero tamen sententiarum discerni nequit, quæ pœna irroganda, cum qui exilio dicit multandum reum, non dicit pecunia multandum esse, & vice versa. Hugo Grotius *de Jure B. & P. l. 2. c. 5. §. 19.* distingvit inter sententiæ, quæ totis rebus differunt, & inter eas, quarum altera alterius partem continet, ut hæc conjungendæ sint in eo, quo conveniunt, illæ non item, cujus sententiam exemplis illustrat Ziegl. *Dicast. Concl. 42. §. 23 seq.* Ulricus Huberus non in affectione rerum s. materiæ judiciorum, sed ab intentione judicantium vim & potestatem pendere, & inde in dicto casu exilio multandum esse

esse reum statuit, quia probabile, damnantes in pecuniam malle, si hoc obtinere nequeunt, exilium rei, quam capitale supplicium. *de Jure Civis. lib. 3. Sect. 2. c. 6. n. 5.* Hujus sententiæ quoque est Henricus Coccejus *Diss. de eo quod just. est circa suffrag. sect. 3. § 5* & in casu, quando duo judices ad mortem condemnare, duo alii in insulam relegare, tres vero absolverunt, existimat relegationem dictandam esse, quia plures in pœnam consenserunt, licet in modo pœnæ dissenserint. Fundamentum autem ejus est, omnes damnantes jungendos esse contra absolventes, & si plures damnantes in genere pœnæ dissentiunt, jungendos eos, qui propius idem sentiunt. Quia vero reus in judicio vel absolvendus vel condemnandus, absolvi hic non posse eum, si à pluribus, et si diversis pœnis, condemnatus ille, ob quas diversas vero pœnas non aliam ex iis intelligi posse dicit, nisi in quam plurimi condemnantes simul proprius consenserunt, qualis hic est relegatio, licet nihil commune habeat occidere & relegare, cum satis sit, in æstimatione delicti suffragantes convenire, ut puniatur, & quod major pœna etiam minorem in se contineat.

XXXI. Ita apparet, variis opinionibus Dd. negotium hoc tractari, non quidem sine ratione, quam quisque in suam sententiam affert, at tamen, re ipsa inspecta, ita, ut singulæ & singulares sententiæ in prolatis casibus maneant. Singulares autem si sunt, nulla earum jungi potest alteri, ut pars major constituatur. Imo in casu, si ex præsentatis ad officium Tres Cajum, duo Sempronium, duo Titium elegerunt, constat satis, sententias conjungi non posse, sed hic simpliciter Cajum ex trium electione, utpote plurimorum votis, electum esse. Proinde non displicet quod sentit Zieglerus *d. 4. §. 22.* si pactio, lex aut consuetudo aliud non præcipiat, ut exitum negotium obtineat, esse ad Superiorem causam referendam, vel à Collegio Juridico sententiam petendam. Si nihil horum omnino in usum deduci possit, argumentis inter controversantes tamdiu pugnandum esse, donec aliqui victi mutaverint suas sententias. Quicumq; enim sectator justitiæ & Numinis Divini cultor est, tam tenax non erit sententiæ suæ, ut ex sola contradicendi libidine ab ea diverti non velit. Jure Civili & Canonico in casu, ubi unus in 15, alter in 10, tertius in 5, condemnavit, decisum, quod in quinque tantum sententia subsistere debeat, quia in illa omnes

concordes reperiuntur. *L. 27. §. 3. ff. de Recept. qui arbit. c. 1. de Arbit. in 6.*


Ko 2923 ^{ua}

VD 18

ULB Halle
005 725 02X 3







B.I.G.

Farbkarte #13

g. 39. num. 4.

7.20

5
79
SAMUELIS FRIDERICI WILLENBERGHII,
Doct. & Prof.


DE

VOTORUM
PLURALITA-
TE NON CON-
CLUDENTE, No 2923 ^{ua}

Dasß nach den meisten Stimmen
nicht allemahl der Schluß
zu machen.

EXERCITATIO

Editio Altera auctior.



GEDANI, Typis Viduæ JOH. DANIELIS STOLLII,
SENATUS ET ATHENÆI TYPOGRAPHI. A. 1724.